

DE  
VERA PROPORTIONE CALORIS IN COR-  
PORIBUS DIVERSARUM SECUNDUM  
THERMOMETRUM DATUM  
TEMPERATURARUM  
*DISSERTATIO PHYSICA*

---

Q V A M

*Conf. Ampl. Fac. Philos. Reg. Acad. Aboëns.*

PRÆSIDE

*Mag. G. GABR. HÅLLSTRÖM,*

*Phys. Prof. Reg. & Ordin. atque Reg. Societ. Oeconom.  
Fennicæ membro,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

*Publico Examini modeste offert*

*JONAS REGINALDUS GRANLUND,  
V. D. M. Östrob.*

In Auditorio Majori die XIII. Junii MDCCCV.

H. a. m. c.

---

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

*Admodum Reverendo atque præclarissimo,*

DOMINO

JOHANNI FORSMAN,

*Sacellano in Laibela*

NEC NON

VIRO

*Admodum Reverendo atque Praeclarissimo*

DOMINO

Mag. ZACHARIÆ FORSMAN,

*Sacellano in Öfvervetil*

Fautoribus suis propensissimis

*In pignus animi gratissimi atque venerabundi has pa-*  
*gellas sacratas,*

*voluit deluit*

*Nominum Vestrorum*

*celter devotissimus*

JONAS REGINALDUS GRANLUND.

**M**axime diversas caloris intensitates in corporibus varii generis sensibus nostris quotidie experimur; eas autem inter se secundum hanc experientiam comparantes quotidie quoque hallucinamur. Neque id mirum. Pendet enim nostrum de calore judicium non a quantitate tantum calorici liberi praesentis, sed etiam a dispositione sensuum nostrorum, qui pro sua temperatura nunc fortius a calore corporum ambientium afficiuntur, nunc autem minus. Multo igitur tuus ex observationis variationibus thermometricis hoc erit judicium. Sed neque thermometris in comparandis quantitatibus calorici liberi, & inde pendentibus intensitatibus caloris, ita omnino esse fidendum constat, ut credatur, proportionales eas esse gradibus illorum observatis, cuius rei causa inde mox apparet, quod initium graduum non a statu thermometri, omni calorico libero privati, sed a puncto ejus omnino arbitrario fieri solet. Facto enim vero caloris gradu =  $x$  pro puncto  $o$  thermometri CELSI, ratione autem calorici  $1:1+y$  in temperatura  $o^{\circ}$  &  $c$  graduum, erit  $x:x+c::1:1+y=1+\frac{c}{x}$ , &  $y=\frac{c}{x}$ ; unde apparet, veram proportionem calorici in corporibus pendere a

A

va-

valore gradus caloris absoluti in temperatura  $0^{\circ}$ , & hunc vicissim a cognita illa proportione determinari posse. Eodem igitur redit studium determinandæ proportionis illius calorici ac conatus inveniendi absolutos caloris gradus.

Præterquam quod ad hanc rem applicaverint Physici theoriam caloris specifici (*a*), alia quoque via hanc instituendam esse disquisitionem jam dudum docuerunt. Cel. AMONTONS primus, quantum quidem nos cognoscimus, statuit, ex cognita aëris elasticitate deduci posse mensuram caloris (*b*), ut etiam Celeberrimo DAN. BERNOUELLI "videtur non incongrue aëris calorem, si communis sit densitatis, proportionalem statui ejus elasticitatii" (*c*); unde concludendum esse apparet, manente pressione aëris & massa eadem, gradus caloris veros sequi rationem expansionum a calorico, hoc est, rationem spatiorum, quæ aër pro diversis gradibus thermometri occupat. Hanc autem expansionem aëris thermometris aëreis (aëre & liquido aliquo corpore impletis) invenire conati sunt.

Idem principium determinandi calorem secutus est Cel. LAMBERT (*d*), cumque invenerit, post ali-

*a)* Vide *animadversiones de conatis Physicorum absolutos caloris gradus determinandi* super hic editas

*by Mem. de l'Acad. Roy. des Sciences a Paris 1702.*

*c)* Cfr. ejus *Hydrodynam. Argentor. 1738*, p. 204, § 8.

*d)* Vide ejus *Pyrometrie*, Berlin 1779, p. 27, § 50 &c.

aliquam, etiamsi non certam, correctionem ob dilatationem vitri thermometrici, volumen aëris in calore aquæ congelantis esse ad volumen ejus in calore aquæ ebullientis ut  $1:1.37$  (*e*), conclusit, in eadem hac ratione esse veros caloris gradus in hisce temperaturis (*f*), quam proportionem pro verisimilima ob validissimas rationes esse habendam urget quoque Cel. JOH. TOB. MAYER (*g*), adeoque calorem verum in temperatura aquæ congelantis & gradus *r* thermometri Reaumuriani esse ut  $1:1 + \frac{0.37}{80} r$ , seu  $1:1 + 0.004625 r$ , quæ proportio pro gradu *c* thermometri CELSII est  $1:1 + 0.0037 c$ . Est itaque hic  $y = 0.0037 c = \frac{c}{x}$ ; unde pro gradu aquæ congelantis determinatur gradus caloris verus  $x = \frac{1}{0.0037} = 270$ , quam eum quoque MAYER habet.

Ut inveniatur certitudo, qua hac methodo eretur valor *x*, sit volumen aëris pro  $0^\circ$  thermometri centigradi = 1, & pro  $+100^\circ = a$ ; atque erit secundum allatam theoriam  $x:x+100 :: 1:a$ , &  $x = \frac{100}{a-1}$ . Hinc autem habetur differentiando

$$A \approx$$

$$d x =$$

---

*e*) l. c. pag. 47, § 89.

*f*) l. c. pag. 105, § 183, pag. 54, 55

*g*) Ueber die Gesetze und Modificationen des wärmestoffes von Job. Tob. Mayer Erlangen 1791, pag. 43.

$dx = -\frac{100 da}{(a-1)^2}$ . Si igitur fit substitutio valoris Lambertiani  $a = 1 = 0,37$ , & simul observetur, ipsum LAMBERT limites  $0,354$  &  $0,375$  hujus invenisse; appareat, sumi saltem posse  $da = \pm 0,01$ , adeoque inveniri  $d x = \pm \frac{1}{(0,37)^2} = \pm 7,3$ . Secundum ejus experientiam est igitur vel  $x = 270$ , vel  $x = 270 + 7,3 = 277,3$  vel etiam  $x = 270 - 7,3 = 262,7$ , adeoque ratio caloris pro gradibus  $0^\circ$  &  $c$  vel  $1:1 + 0,0036.c$  vel  $1:1 \pm 0,0038.c$ . Et si in determinando valore  $a$  evitari possunt errores assumto illo maiores, appareat, hac methodo satis quidem accurate inveniri veros caloris gradus, si modo de veritate hypotheseos, cui ut fundamento nititur, inter Physicos conveniret.

Cum propter inæqualitatem valorum, quos diversi Physici, expansionem aëris a calorico determinantes, invenerunt, hanc rem ulterius esse examinandam judicarent D:ni MORVEAU & DUVERNOIS, atque nova instituerent experimenta; expansionis hujus quantitatatem a determinationibus aliorum non solum valde diversam ipsi invenerunt, sed etiam pro diversis fluidis elasticis & caloris gradibus omnino aliam, quare judicavit Cel. FISCHER, vix amplius posse sperari, ut ope thermometrorum aëreorum &

cognitæ expansionis aëris determinari possent veri gradus caloris (*h*).

Sed neque hæc D:norum MORVEAU & DUVERNOIS experimenta ita esse instituta, ut nullis obnoxia sint objectionibus, ostenderunt D:ni GAY-LUSSAC & DALTON (*i*), quin potius ob præsentiam aquæ liquidæ, in hujusmodi periculis omnino evitandæ, plæne rejicienda esse statuerint. Quare ex iis nullæ sumi possunt rationes, quæ falsitatem hypotheseos allatae de proportione graduum caloris & elasticitatis aëris directe demonstrent.

Observavit autem Cel. GILBERT (*k*), legem hanc de vi tantum non quantitate calorici in data massa aërea valere, & D:num DALTON primum fuisse, qui de hac quantitate determinanda hypothesin proponere ausus sit. Postquam nempe hic experimentis didicerat, (id quod etiam D:num GAY-LUSSAC pericula sua, alia ratione, & sine aliqua cognitione experimentorum Daltonianorum, accurate instituta docuerunt (*l*)), omnium fluidorum elasticorum, quæ liquida vel alia aliqua corpora, unde novi vapores facile exsurgunt, non contingunt, expansion-

*b)* Cfr. *Physikalisches Wörterbuch von Job. Carl Fischer*, Göttingen 1800, 3 Tb. p. 319 — 322; 5 Tb. p. 104.

*i)* *Annalen der Physik von Gilbert*, B. XII, St. 3, pag. 269, 270, 274, 310.

*k)* ibidem B. XIV, St. 3, pag. 285.

*l)* ibid. B. XII, St. 3, p. 291.

sionem a calorico æqualem esse, (quam etiam uniformem pro diversis gradibus caloris antea invenerat **Cel SCHMIDT** (*m*)); eam assumpsit hypothesis, expansibilitatem hanc soli calorico deberi & ei esse proportionalem pro diversis gradibus caloris, adeoque e cognita dilatatione proportionem quantitatis calorici in his temperaturis innotescere, unde facile erui possent absoluti gradus caloris. Secundum illum igitur quantitas calorici in data massa aërea, quæ a data vi comprimitur, a vi ejus repulsiva æstimanda est; cum autem hæc vis linearis sit, proportionem sequi debet radicis cubicæ voluminis ipsius aëris, si vis comprimens invariata manet. Unde quantitates calorici in aëre diversarum temperatarum erunt ut radices cubicæ voluminum aëris (*n*), ita ut, si sit quantitas calorici pro gradu thermometri centigradi  $o^\circ = z$ , & pro gradu  $+ 100^\circ = z'$ , volumen autem aëris pro  $o^\circ = 1$ , & pro  $+ 100^\circ = a$ , sit  $z : z' :: 1 : \sqrt[3]{a}$ . Fiat igitur pro puncto  $o^\circ$  verus gradus calorici  $= x$ , & erit pro puncto  $+ 100^\circ$  hic  $= x + 100$ , qui gradus absoluti proportionem indicare debent quantum calorici; quare intelligitur esse  $x : x + 100 :: 1 : \sqrt[3]{a}$ , unde tandem eruitur valor quæsitus  $x = \frac{100}{\sqrt[3]{a} - 1}$ , & proportio calorici in temperatura  $o^\circ$  &

c hæc

*m)* *Annalen d. Phys.* B. XII. St. 3. p. 274.*n)* *ibid.* B. XII, St. 3. p. 316; B. XIV, St. 3, p. 286 &c.

$$e \text{ hæc } 1:1+y=1+\frac{e}{x}:1:1+\frac{(\sqrt[3]{a}-1)e}{100}.$$

Examinaturi qualem variationem hic valor subeat ob parvum aliquem errorem quantitatis  $a$ , pri-  
mum quærendo variationes synchronas ipsarum  $x$  &  
 $a$  invenimus  $d x = -\frac{100 da}{3(\sqrt[3]{a}-1)^2 \sqrt[3]{a^2}}$ . Recenset au-

tem Cel. GILBERT (o) conamina plurium Physico-  
rum quantitatatem  $a$  determinandi, & ostendit post de-  
bitam correctionem, valorem a D:no GAY-LUSSAC  
ita institutis experimentis inventum, ut nihil vitii il-  
lis exprobrari posse videatur, nempe  $a=1,3802$ , me-  
dium fere omnium, quibus aliqua fides tribuenda est,  
tenere, quem igitur hic pro vero assumere liceat.  
Reliqui autem, etiamsi determinationes eorum ab ob-  
jectionibus non sint liberæ, rejectis valoribus qui  
maxime falsi videntur, intra limites 1,3933 (valor  
D:ni DALTON) & 1,3577 (valor D:ni SCHMIDT) con-  
tinentur; quare maximum errorem, qui in hoc va-  
lore determinando committitur, majorem quantita-  
te  $da = \pm 0,0178$ , quæ est dimidia inter extremos  
valores differentia, sumere non possumus. Substi-  
tutis autem his, habetur primum  $x=881,91$ , &  $d x$   
 $= \pm 37,92$ . Hinc erit vel  $x=881,91$ , vel  $x=881,91$   
 $- 37,92 = 843,99$  vel  $x=881,91 + 37,92 = 919,83$ ;  
& limites proportionum calorici pro  ${}^{\circ}\text{C}$  &  $e$  gra-  
| di-

---

(o) *Annalen der Physik*, B. XIV, St. 3, p. 266. &c.

dibus CELSII erunt  $1:1,001087c$  atque  $1:1,001182c$ , quæ differentia in se quidem non magna, interdum tamen non negligendum gignere potest effectum. Cum autem valor quoque allatus quantitatis  $a$ , a D:no SCHMIDT neglectis forte correctionibus necessariis inventus, nimis parvus censeatur; etiam ille rejiciendus videtur præ reliquis certioribus (D:ni LAMBERTI, 370; LUZ 1,3835; DE LUC 1,388; MAYER 1,377; DALTON 1,3933; & GAY-LUSSAC 1,3802), qui etsi diversis modis & temporibus determinari, multo tamen minus a se differunt. Et quidem non dubitamus, quin, si ulterioribus experimentis & rationibus confirmetur hypothesis Daltoniana, valor quantitatis  $a$  ea certitudine determinari queat, ut error probabilis magnitudinem  $\pm 0,005$  non excedat, cum in suis experimentis D:nus DALTON invenerit differentiam maximam = 0,009, GAY-LUSSAC autem in suis non nisi = 0,002. Retento igitur valore  $a = 1,3802$ , erit tunc probabilis valor  $dx =$

$$\pm \frac{1}{3(\sqrt[3]{a} - 1)^2 \sqrt[3]{a^5}} = \pm 10,46; \text{ quo casu valor quæsitus limites } x = 892,37, \text{ & } x = 871,45 \text{ non excedet, limitesque proportionis calorici in temperaturis } o^\circ \text{ & } c \text{ scalæ CELSII erunt } 1:1,0011206.c, \text{ atque } 1:1,0011476.c; \text{ ut luculententer appareat, ad cognitionem caloris absoluti satis quidem certam hac methodo perveniri posse. Res certe meretur, ut repetitis experientiis, quæ forte veritatem valoris D:ni GAY-LUSSAC confirmabunt, hac via instituendis ulterius examinetur.}$$


---